



DE ADMIRANDIS
GESTIS QVIBVS SERENISSIMA ARCHIDVCISSA AVSTRIAE, MAGNA HETRVRIÆ DVCISSA
PEREGRINATIONEM SVAM LAVRETANAM
CLARIOREM REDDIDIT.

ORATIO


STEPHANI PEROTII CAMERTIS
Monachi Cassinensis.



CAMERINI, Apud Franciscum Ioiosum. 1614. De licentia DD. Superiorum.

SAPIENTISSIMO D. IO. BAPTISTAE STROTIAE

PEROTIVS DE PEROTIIS EQVES SANCTI STEPHANI. F. P.



VANTVM e tua facilitate, vel officij, vel gratiæ deriuaueris in Stephanum fratrem meum ante proximos hosce menses Florentiæ commorantem vir omnium humanissime STROTIA, doctissimequè: & ipse frater libenter in omni sermone commemorat; & ego, qui diligentius fortasse, quam ille perpendere consueuerim talium momenta rerum, animo facile consequor quantum nobis inesse possit ad existimationem nominis in tua quà facilitate, quà felicitate momentum: & ne mentiar; nostrum beneuolentiæ tuæ fructum ad lucrum immortalitatis, & ad summam nostræ nobilitatis appono. Non est simplicitatis meæ dissimulare, quid mihi de tua commoditate pollicear. planè ità se res habet. fratris hunc aditum ad humanitatem tuam meæ cupiditatis occasionem putaui; quæ Tibi, quod iam diù mecum ipse meditor ambitiosius fortasse, quam verecundius, meum & aucupandæ beneuolentiæ tuæ studium indicarem; & fidei meæ pignus obstringerem; & perpetuam responsionem officij deuouerem. Nunc adeò, cum ille nuper subito quodam ingenij calore tumultuarij laboris oratiunculam de serenissimæ MARIÆ MAGDALENÆ laudibus ex hac proxima peregrinationis eius occasione profudisset; auctor illi fui: quicquid demum illud esset; sub ampli-

tudine tui nominis, in vulgus vt exire pateretur: vt eius officij specie me pariter, in eum gratiæ tuæ locum, quem tua mihi patefecisset humanitas, insinuarem. Non eram nescius, in hac laudatione pauciora me desiderare quàm Doctos: tamen illud etiam sciebam, ipsos quoquè Doctos in multis conniuere, cum amant: simul intelligebam quicquid hic à fratre meo peccatum sit; non argumento peccatum esse, sed stylo. Efferent alij, non nego, clarissimæ Fæminæ memoriam ingeniosius. nemo fratre meo studiosius, nemo beneuolentius. hoc quoquè dabo, si vis. efferent ornatius, efferent magnificentius. Magis autem ad fidem, aut obseruantiam, venerationemquè non efferent. Eam laudationem ad Te mittimus antequam publicis consignatam litteris Serenissimæ Dominæ redderemus: ad Te litterarum, elegantiarumquè omnium expolitione limatum: ad Te communis Dominæ summa præter cæteros gratia florentem: ad Te Musarum, & immortalitatis Antistitem, vt commendatione tui nominis, & amplitudine dignitatis, ac deductionis tuæ non tam mei fratris existimationem à doctorum reprehensionibus vindicaremus; quàm vt eius ingenij, beneuolentiaquè cursum erga Serenissimam Dominam immortalibus eius laudibus, quasi facibus incitatum ex hisce carceribus effunderemus ad gloriam. Tu si quod soles, amicorum vtilitatibus, ac studijs obsequeris: duplex ex tua consuetudine nobis offeres emolumentum: alterum suauitatis ob amicitiæ fructum: alterum honestatis, ob amplitudinem tui nominis, nobilitatemque doctrinæ. Vale.

Dat. Camerini Idibus Ianuarij M D C X I V.

ORATIO
DE ADMIRANDIS GESTIS,
QVIBVS SERENISSIMA MARIA MAGDALENA
Archiduciſſa Auſtriæ, Magna Hetruriæ Duciſſa
peregrinationem ſuam LAVRETANAM
reddidit clariorem.



DMIRABILIS Benignitas veſtra, Sereniſſimi Principes, qua me ſuperioribus diebus excepiſtis, venerantem Auguſtiſſimum Serenitatis veſtræ Conſpectum dum me iterum ſtudet allicere, fateor, iucundiſſime rapit. Quamobrem licet e tenebris ad Solem ſtatim educto caliget acies, & oculi præſtringantur; tamen idem ille Sol eumdem rurſum excitat, recreatq. & affuſo lumine reddit alacriorem: ita mihi etiam Vos maxima ſidera intuenti hebeſcit quidem non nihil ingenij acies, & linguæ ardor retardatur, ſed ab aſpectu Serenitatis veſtrę tantum alacritatis infunditur, vt quo terrebar Maieſtatis ſplendore, illo eodem excitari me ſentiam vehementius. In quo illud eſt felicitatis meæ, quod argui audacia nequit, quin veſtra quàm maximè culpetur humanitas. Vobis itaquè clariſſima Mundi lumina incenſi obſequij mei, ac ſtudij obſes ſit, quando meritis paria, ne concipere quidem imbecillitas virium poteſt, breuis hæc Auguſtiſſimæ MARIAE MAGDALENAE virtutum, ac laudum commemoratio, atquè vtinam ea eſſet, quæ pectora ad pietatem excitaret Mortalium exemplo tam inſigni, & ſingularis meæ in ſereniſſimam Gentem veſtram obſeruantiæ teſtem ipſum Terrarum Orbem aduocaret.

Sanè Medicea Gens nullis ſplendeſcere radijs glorioſius

poterat,

poterat, quàm Sereniſſimæ MARIAE MAGDALENAE virtutum. nullis firmius niti præſidijs, quam huius regiæ Fœminæ pietate, prudentia, integritate. Hoc optabat, hoc promerita fuerat. & iam cœleſti hoc habet munere; quo nullum expeti auguſtius poterit ſi æternum viuat. Præcelſiſſimæ ergo huius Heroinæ facta cum ſint copia innumera, varietate iucunda, genere diſſimilia, amplitudine ſuſpicienda præſtantia vel omnium prima, vel cum primis, facilius fuerit, Sereniſſimi Principes, initium laudationis, quàm exitum inuenire. Immenſus hic mihi Auſtriacæ amplitudinis, felicitatiſq. ſplendor oboritur. immenſus laudum campus aperitur. Citius dies, horas, puncta temporis, quibus Deo vixit, ac gloriæ numerem, quam immortalium exempla virtutum. Miſſa igitur faciam auita decora, trophæa, ſceptra, aut verius ſceptrorum faſces, quos inter enituit tantum mutuata à ſtirpe ſplendoris, quantum nulla non ætas mirabitur. Sileantur tot Principes viri, tot Sereniſſimi Archiduces, tot ſapientiſſimi Reges, tot inuictiſſimi Imperatores, qui rebus præclarè geſtis gentem Auſtriacam auguſtiſſimam reddiderunt. Etenim vt præclarum eſt, glorioſumquè Maiorum ſtimulis ad omnem laudem, atquè amplitudinem inflammari; ita leuis, & non ferenda eorum oſtentatio, qui Maiorum clarè geſta ſuis factis prætendere, & ſola nobilitatis voce blandiri ſibi conſuerunt. Quo illud eſt admirabilius in generoſiſſima MARIA MAGDALENA, quod non tam ipſa maiorum titulis lætari ſoleat, quam ij, qui anteceſſerunt triumphare eiuſdem gloria debeant. Nam quiſquis incredibilem huius Fœminæ ſapientiam, moderationem, verecundiam, caſtimoniam, & in omni vitę parte ſanctitatem contemplari voluerit, eam non tàm brutis hiſce e terris editam, quam beatiſſimo e Cœli domicilio lapſam mortalium beneficio, atq. ornamento iudicabit. Siquidem egregias, ac immortales cùm animi, tùm corporis dotes, quibus ornata ſuſpicitur, non ad Thuſcorum modò, ſed ad mortalium omnium

incolumitatem,

incolumitatem, dignitatemquè, & prudentissima cura, & studio religiosissimo conferre contendit. Minime mirum id quidem nam diuini amoris flamen inde vsque à prima ætate nouellam ac teneram in hortis Christi consitam plantam copiosis, tempestiuisquè diuinorum imbribus beneficiorum irrigauit. Hic ego quid perpetuam eius consuetudinem cum cœlestibus, & in orando DEO mentis contentionem commemorem? tantus illi cum diuina clementia intimæ necessitudinis vsus intercedit, vt diuina meditanti nihil acerbius sit, quam ad humanas non dico voluptates, sed necessitates ab excelsissimarum cogitationibus rerum auocari. Cuius ipsa cœlestis congressus iucunditate, & saluberrimo pastu animorum, vt in quam longissimum tempus extracto cum Deo sermone perfruatur, omnem penitus abijcit mollitiem in moribus, omnes in victu delicias aspernatur, omnem omnino in vestitu luxuriam, & insignem Augustarum ornatum ad ornatum animi præclara quidem ratione traducit. Quamquam huius generis multa eaq. egregia expresserim melius, dum suppresserim. Age verò quis vnquam in euoluendis historiæ, vetustatisquè monumentis fœminam siuè excelsæ, siuè mediocris fortunæ comperit, cuius tam vehemens fuerit in prostratos, iacentesq. caritas? tam pia in ærumnosos misericordia? tam affluens, ac facilis in pauperes pietas? tam ardens in proximos beneuolentiæ caritas? tam insignis, ac integra in omnem ordinem, ætatemq. fides? Quid de Mulieris lectissimæ dicam sanctissimorum suauitate morum? de grauissimorum lenitate sermonum? de incredibili in responsis sapientia? in consilijs prudentia, in dictis constantia? Quis vnquam humanitatem non ornare dicendo, sed cogitando assequi poterit? Quis ingenii excelsitatem? quis felicitatem memoriæ? quis exaggeratum robur animi? quis reliqua omnia bona, quæ à Deo plurima, & diuinissima accepit hæc immortalis fœmina, vel potius Diua mortalis animo, ne dicam oratione comprehendet? Porrò in

hoc

hoc Hetruriæ veluti nobilissimo Theatro quis vnquam venerabundos in hanc Mulierem oculos coniecit, quin infinita in ea virtutis abditæ lumina notauerit? adeò aspectus, nutus, voces totum deniquè mutam os loquitur sanctitatem. Omnino autem hoc habet, vt quod in egregiis Pictorum, Fictorumquè illustrium operibus accidit, quæ quò propius cernuntur, eo latentis, nequè totam se patefacientis prima facie artis apertiora lumina transmittunt, vt consuetudo latentis virtutis quosdam quasi radios, licet humilitatis occulantur solertia, emittat. Quamobrem nemo illam suspicit magis, quam qui frequentissimè videt. nulli studiosius colitur, quam qui diutius caram habet. ita profectò, Diui mortales, solida virtus illustrior semper est in operto, quam in aperto; & quò in conspectu rarior, eò conspectior. At quid in summa dicendi copia hæreo? quid vox restitas? Dicendum, dicendum est. orationem meam per amplissimas laudes ire properantem MARIAE MAGDALENAE in Beatissimam DEIPARAM amor, ac studium remoratur. quod cum nemo satis pro dignitate prosequi possit cœteris posthabitis ego vt potero breuiter commemorabo Lauretanam peregrinationem adornatam ea caussa atq. susceptam. Ergo religiosissimæ Socrus exemplo excitata, & dulcedine cœlestis Cellulæ allecta accersit suos, sese ad iter comparare iubet, cæruleas in honorem cœlestium Reginæ vnicuiquè vestes imperat: inuictumq́ pectus nec itineris longitudine, nec asperitate viarum terretur, tantam præsentissimi Numinis benignitatem sibi instillari sentiebat. Nobilium itaquè virorum, fœminarumq́. stipata delectu, expectatissima vbiquè proficiscitur. Quacumquè verò faciebat iter incredibili dictu est quanti ad eam concursus vndique fierent. nec solum ex ijs vicis, Oppidis, Castellis, quę augustissimæ pręsentiæ suæ luce complebat; sed ex finitimis etiam visendi caussa veniebant palam professi non tam se Maiestatem Regiam comitatumquè admirari, quam facilitatem, comitatemquè

ac

ac æstuantem in eius pectore Religionis ardorem, cum eam, cuius opes, fortunasq. amplissimas scirent ornatu nullo voti causa tantum iter vrgeri non sine manifesta animi voluptate, perspicerent. Quid hic ego dicam de egentium, ac miserorum gregibus? qui vndique concurrebant benignissimæ Marię Magdalenæ clementiam flagitantes, largitatemquè cum ipsa non solum ab ærumnosis numquam auxilium suum frustra implorari passa sit: sed tam repente, regiequè extremis pauperum adfuerit necessitatibus, vt eius munificentia, ac liberalitas singulorum etiam vota præcurreret? Quantam porrò attulerit voluptatem omnibus, quibus noua hæc lux præteriens affulsit, quam magnificè, ac splendidè eamdem suis sumptibus superiorum Pontificum lumen, & consequentium exemplar Paulus V. vbiquè exceperit, supersedebo dicere in præsentia, ne inde beneficentia, ac liberalitas verè Pontificia, hinc virtutes, ac merita verè immortalia, quæ verbis illustrari nequeunt, obscurentur. Sileo nunc ego apertissima illa verè Austriacæ pietatis argumenta numquam sine diuini Numinis imploratione ab hospitio discessisse, ante discessum rei sacræ semper religiosissimè interfuisse, quamuis hoc, & prædicandum sit, & christiano Principe non indignum. Prædicabunt alij fortasse nullum Oppidum, aut Vicum ingressam, quin prius ante Altare steterit, vt cœlesti pastu reficeret animum, quam in diuersorio constiterit: & quò longius Templum aberat, eò alacrius, qua incredibili erat supremi Numinis venerandi eiquè gratias agendi cupiditate, rapiebatur: efferent alii laudibus horum similia propemodum infinita, quorum ego libens iacturam facio, quod ea dicenti occurrant mihi, quibus fingi animo religiosiora non possunt. Illum dico æstum animi supernis ignibus flagrantis. Illos mentis tacitos reconditosq. sensus ex illa beatarum mentium suauitate decerptos. Ingentes illas lætitias non humanitus conceptas, sed conclusas diuinitus mente. Nam vbi ventum est eò loci, ex

quo primum ſanctiſſimæ Domus faſtigium proſpicitur, non conſtitit ſolum, verum etiam deſiluit ſubitò ac prolapſa in genua auguſtiſſimi Templi Religionem incredibili gaudio, cum omnium admiratione ſalutauit, & lacrimans præ lætitia, ac pietate quanto potuit impetu animi, & ardore immortalitate digniſſimum Coniugem, integerrimam Socrum, Cognatos Liberoſq. ad mortalium felicitatem natos, ſe ſe, reſquè ſuas, & Matris, & Virginis fidei, tutelæquè commiſſit. Porrò quam iucundum ſpectaculum fuerit toti Piceno pietas hæc Auſtriaca vti mihi non eſt facile dicere, ita vobis inuictiſſimi Heroes non difficile iudicare. Nam exemplo tam inſigni mortalium Religio, quæ voluptatum lenociniis ſopita refrixerat, vehementisſimè recaluit: coniectiſquè in piiſſimam Principem omnium oculis induerunt iterum homines, quam exuerant propemodum Diuini Numinis reuerentiam non ignari æqualium exempla mouere, Principum imperare, Auſtriacorum cogere. Ergo vt ad optatiſſimum peregrinationis ſuæ portum Heroina ſanctiſſima appulit Templum intrat ſanctitate amplisſimum, copioſisſimum ornamentis, omnium nationum, populorumquè frequentia toto Orbe celeberrimum. Sacratiſſimum Chriſti corpus veneratur, vt præclara, ac multa vno verbo complectar, Auſtriacè: externa cœleſtis ſacelli præcipuo quodam ſtudio, eximioq. cultu, & honore proſequitur. Interea Cuſtodes valuas eius patefecerant, vt quam primum Princeps optima locum illum diuinisſimum inſiſteret, in quo Seruatoris noſtri, ac Deiparæ Virginis ad omnem poſteritatis memoriam altius ſunt impreſſa veſtigia. At ò excelſi animi voluntariam deiectionem omnibus ſuſpiciendam. O miram rem, & poſt hominum memoriam inauditam? Quam allexerat pietas ad Lauretanam Domum venerandam, hanc, ne eam veneraretur illicò, eadem pietas eſt remorata. An vt non tam itinere, quam precibus mens fatigata tantiſper conquieſceret? minime, minimè verò: ſed vt ſibi ipſi imperans in

ſummo


summo venerationis æstu modum retineret impetum animi venerabunda continuit atq. absistere in animum induxit, vt paratior rediret: & quo singularis eius virtus enituit clarius, magisquè in posterum enitescet, nec vnquam excidet vox illa omnium sæculorum memoria dignissima se nequaquam illud studio mortalium, atquè immortalium nobile Tabernaculum ingressuram, nisi prius expiato per confessionem animo salutarem hostiam percepisset. Fortassè, vt liberius integerrimus eius animus in atria Domini deficeret, ac rerum suauitate cœlestium penitus colliquesceret, afflaretquè deinde intuentibus ea liberalitate suauem, iucundumquè pietatis odorem, qua hausisset diuinitus auidissimè. tùm verò voces gaudentium oppressæ sunt religionis magnitudine: officia laudandi cessarunt plusquam laudanda cernentibus. E Templo itaquè digressa, quamuis inuita diuertit ad curandum deuia fessum corpus, & moderato victu, quieteque reficiendum. Verum quando ad eximium illum actum est accedendum, quo in augustissimum, amplissimumquè sacrarium sanctissima Princeps penetrauit absistam vulgaris homo ab illa seclusa diuini Numinis reuerentia, nec temerabo oratione mea tam grande orationis secretum. Sed quemadmodum Thimantes celebris ille Pictor, quem sensum doloris in Iphigeniæ Patruo exprimere nequibat penicillo, texit: cum tamen assequeretur artificio, vt spectatores ipsi suspicarentur illum sensum esse infinitum: sic ego vestra coniectura mihi abutendum esse arbitror, quo per vos ipsi tum preces fusas, ac vota inibi suscepta, tum relicta propemodum singularis munificentiæ argumenta, opulentissima dona aliqua ex parte attingere suspicione possitis. Ac profecto incrementum pietas, quæ videbatur amplificari non posse, tantum ex ea sumpsit commoratione, quantum cum Florentiam inflammatior quam antea rediret, ostendit. Qui nutu omnia regit asseruari permisit in vnico cuiusdam Castelli Templo, quod tot Principes viros excepit

hospites lecticas duas. Nemo autem dubitare potest, quin hoc ad illustrandam tantæ Dominæ pietatem, permisserit Deus. Porrò Princeps sanctissima noctu excitata ne dicam, an admonita diuinitus multo ante lucem inopinatò surgit e lectulo, Templumque ingrediens, vt de more rei sacræ interesset, vbi lecticas illas vidit repente incredibili religionis amore succensa in hæc fermè verba exarsit. ita ne diuinæ Maiestatis ædem, sedem sanctitatis violari passi estis? Hæcine Christiana pietas, & Religio? Proh superum hominumque fidem. Domum, quæ nunquam orantibus vacua esse deberet, in qua cum timore, & tremore venia cuilibet dies, noctesq. suorum scelerum esset petenda, mortalis improbitas, vel dissimulata, vel imprudens, sed semper impia cœlestium Angelorum spectante acie, nec irruente conscelerauit. abripiantur hinc quam citissime, seruentur in agris infirmitatis nostræ subsidia, faxitque Deus ne iterum cœlesti lumine orbati sacris miscere profana mortalium quis audeat. Vocem inclitam, planeque auream, ac verè Austriam. qua cohibitus angustijs pectoris egregius religionis ardor, diuque compressus erupit profusissime, vt vile Castellum splendore tam memorabilis facti redderet immortale. Quid mirum igitur MARIA MAGDALENA Te enim extrema hæc mea venerabunda compellat oratio, Princeps beneficentissima, si tantum Tibi incolumitatis perennitatisque precari esterni, ac populares nequeunt, quantum ipsa mereris, licet supra quam possint precentur. longè enim ampliora esse merita tua, quam optata votorum perspiciunt, cum Tu mortali specie augustior diuinæ cuiusdam maiestatis indolem vultu præferas. Mihi quidem laudum tuarum impedit turba delectum, atque tam præstat tua præclarissimè gesta in summam referre, quam extenuare dicendo. dixisse sufficiat Te vnam diuinitus extare, in qua virtutes simul omnes vigent, quæ singulæ in omnibus prædicantur. Aliarum Heroinarum facta sicuti

ego exiſtimo, ſatis ampla, magnificaque fuere: verum aliquantò minora tamen, quam fama feruntur: ſed tua licèt pro maximis ab immortalibus ingenijs per Terrarum orbem ſpargantur, illuſtriora tamen in omnem temporis æternitatem extabunt. Præſentium quiſque miratur in Te tantum eſſe laudum omnium, virtutumque concentum, vt fortuna cum ratione, cum hilaritate ſeueritas, humanitas cum maieſtate, quaſi cum acutis grauia, vt fieri ſolet in fidibus proportione concordent. Atque vt tuarum vtar laudum compendio. Nulla clarior gloria eſſe poteſt, quam Te regio Sereniſſimi COSMI connubio gaudere, illumque aureis tuis partubus gloriari; quemadmodum nihil ille à ſapientiſſimo Parente FERDINANDO auguſtius accepit quam Te Vxorem votorum magnitudini parem, Regno maiorem. Tu tamen nihil Tibi ex fortuna tanti coniugij niſi gaudium vindicas, conſtanterque non potentiam maximi Coniugis, ſed clementiam, ac iuſtitiam reuereris. Quid mirum igitur ſi vobis paterna felicitas nihil addiderit, niſi quod ſcire cœpiſtis quam bene vterque veſtrum felicitatem ferat? Quamobrem iure in ore omnium gentium, ac nationum eſtis tanta virtute, tanta fortuna, tanta clementia, tanta liberalitate nobiliſsimum Par, florentiſsimi Principes: & ſanè quorum corporibus ditione, ac poteſtate non imperatis in eorum animis amore, ac beneuolentia dominamini. Vos enim viuida Terrarum ornamenta non tam perpetuam, æternamque famam, quam bonam, ac integram concupiſcitis. Hanc verò non imaginibus, ſtatuiſque, ſed Virtute, ac meritis prorogare contenditis. Idcirco forma, figuraquè corporis veſtri auro, argentoque exprimitur, at mentis meritò mortalium animis, Sideribuſque inciditur. Thuſcus veſter ſapienter nihil habet antiquius quam diuturnam Vobis optare vitam incolumitatem Imperii ęternam. Vos Vos in quam eſtis qui nihil aliud ſpectatis, quam quod iuſtitia poſtulat, præcipit ratio, ſapientia

pientia proponit, conſcientia recognoſcit. Fortunam autem habetis ſi aliorum meritis metiatur auguſtam ſi veſtris anguſtam. Virtute verò cum à vobis omnes alii ſint victi, voſmetipſos vincere arduus, at præclarus eſt labor. Vobiſcum vobiſcum ipſi certatis explicata veſtrarum cohorte virtutum. quæ dimicant inuicem, nec altera alteri cedit, ſed omnes inuictæ, omnes glorioſæ, omnes triumphatrices mutuò inter ſe nexæ, ac permixtæ adeò ſunt, vt nemo eas ſingulatim diſcernat, nec vlla ſine ſumma ſui diſiunctione poſſit ab altera ſegregari. Vos itaque mundi decora, deliciæque ſi diuina clementia quam diutisſimè ſeruabit incolumes, id, quod optimus quiſque ſummopere expetit aſſequetur. Dixi.

FINIS.



MC